



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

Reverenda Dignitate Atqve Excellenti Doctrina Præstantissimo Patri Petro  
Winæo, Sacræ Theologiæ Doctori Collegij Soc. Iesv Moguntinensis Rectori  
Magnifico. S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)



REVERENDA  
DIGNITATE ATQVE  
EXCELLENTI DOCTRINA  
PRÆSTANTISSIMO PATRI PETRO  
WINÆO, Sacræ Theologiæ Doctori Col-  
legij Soc. IESV Moguntinensis  
Rectori Magnifico.  
S. D.

**N** tanta hodie & scriptorum & librorum non  
copia, sed abundantia, quanta post literas natas  
nata nunquam fuit, sepe mecum ego de seculi no-  
stri fertilitate dicam, an luxuria, in hoc genere,  
rum contra de rebus ipsis & scribendi legitimis  
argumentis solco cogitare. De illa quid sentiam, & in futurum  
quid omittere apud me premere tacitus malo, quam in vulgus pro-  
mere, ne malorum augur & vates importunus habear, quæ  
multi non sine irrisu & cum sententia mea insectatione sint au-  
dituri. Proinde de rebus ipsis & argumentis, quæ iure cadant sub  
scriptorem, brevis aliquid dicam. Omnium autem, quæ post  
veteres tot ac recentes ipsos non pauciores scriptores scribi hodie  
possunt, & debeant deinceps, tria facio capita siue classes, quibus  
nec puto fore quicquam ætius, ex quo quod non includatur. In  
primo ordine statuo, qui aut noua prorsus inueniunt, aut vete-  
rum inuentis addunt: in secundo, qui opiniones antiquorum im-  
mortalibus & scientiis quibusvis unque, quocunque modo vel castigando  
vel dirigunt, ipsas autem res meliore via & ad discendum accom-  
modatiore tradunt: in postremo, qui scripta ipsa præcorum  
omni generis vel obscura illustrant, vel emendant maculosa. Pri-  
):( 2 118

## DEDICATIO.

mis nihil dignius: qui hos subsequuntur, nihil vitiosius: quos ultimos feci, is verò nihil magis necessarium. De omnibus latissimus dicendi est campus, si ingenio quis permittat expatiari, quod arctioribus habentis ita moderandum hic mihi, ne magis, qua de re, quam ad quem, & qualege scribam, videar meminisse. Falcem enim aliena inferere mehi, deq; aliorum quibusvis scriptis temere ferre sententiam prudens semper abstinui, quin potius omnium bonorum scripta atque labores summis laudibus veneror, ac quantum in me est, ab interitu vindico. Qui quidem mei conatus, maximum, vti spero, elucubrationibus insudandis præbent incentivum. Quorsum enim opus foret, tot curis, vigiliis, laboribus, nec sine maximo ut plurimum valetudinis detrimento, ut quisquam se maceret, si ipsius lucubrationes, quæ utilitati plurimorum inferuire possent, omnino sopirentur. Iniuriosumq; adeo est, in doctorum virorum lucubrationes, quibus carere omnino, citra barbarici metum, posteriora secula nequeunt, ut simus iniquiores; Vita enim huius seculi, si nunquam vel hodie maxime, brevis, memoriâq; labilis admodum, ars verò longa, omniq; scientia, ut Aristoteles ait, infinita est, nec parare nobis doctrinam atque scientiam eadem via, qua didicerunt & docuerunt præci, possumus. Tollamus enim prætorum scripta, quid nobis relinquetur?

Atque hinc etiam factum est, ut maiores nostri per multa secula certos quosdam eosque probatiores, in qualibet scientia auctores, in quibus nimirum maximam vim rationis lumenq; veritatis animaduertent. selegerint, eosdemque ut oracula scientiarum omni posteritati commendarint; ne videlicet scientiarum nauem inter scopulos erroris fluctuantem sine anchora certiq; gubernatore relinquerent. Hinc Ptolomæum in Astrologia, Boetium in Musica, Euclidem in Geometria, Hippocratem & Galenum in Medicina, Ciceronem in Eloquentia, Platonem & Aristotelem in Philosophia & Dialectica prætulere, omniq; pro re nata, dubia ex eorundem scriptis deciderunt. Periculosum enim existimabant, Solis & Musarum vehiculum tot seculis sapienter ab illis gubernatum, vni Phaethonti temere gubernandum committere.

Sed

DEDICATIO.

sed enim non carent nostra etiam secula ingenis maximope-  
ri admittendi. Non dicam iam de felici multorum industria, qui  
is expargendis veterum scriptorum prodigiis corruptionibus  
rursus deficiant; quo factum, ut hodie summa multorum  
cum laude extant in optimis autoribus tam variae lectiones, tot  
notae, tot scripta critica, tot Aristarchorum de vera sententia  
concentrationum plene disputationes, tot monumentorum & co-  
dicum manuscriptorum allegationes, quibus sanè studio exci-  
tatur atque indies ad diligentiam maiorem studiumq; indefe-  
sum magis in agiq; ingenia acuntur, nec defatigantur in extir-  
panda barbarie, nec finem faciunt, antequam vestigia eius nulla  
ampius inveniant. Et quamvis magna subinde dubitationum  
materies, imo & securitas quotidie quasi subolescentium pro-  
rumpat, dum oriuntur ex aliis alie, quoq; plures tolluntur, hoc  
supplere plures videntur, dubitareq; adeo necesse sit, pluresne  
dubitationes sublatae sint à prioribus, an posterioribus relictae  
commentatoribus; de quibus utrinque incertum, illane plus olim  
negatq; praeferit ingenis fecerint, an haec futuris deinceps asiduo  
sunt facturae; Nihil tamen arduum animo magno, nihil nimium  
improbo labori existimantes, luctantur cum difficultate, capiunt-  
que spiritus ab ipsa rei mole, in qua vel admissum esse, pulchrum,  
nec desistunt fortuna conatum omnium, si quorundam minus  
attendant.

Tametsi verò huiusmodi quoque iam dixi, de re literaria egregie meren-  
tur, magis tamen eandem promouent, qui peculiare in quantum  
scientia materiam tersiori eodemque eloquenti iucunda lectionis  
stilo pertrahant, quippe cui semper maximus est honos habitus,  
tribunumque plurimum huiusmodi, eodem qui excellere visi sunt. Est  
enim nihil arti, nihil Eloquentiae Carneades tribuit, sed ita hanc  
nosse in latem prognatos contendit, ut & blandiri illis à qui-  
bus aliquid petendum, & rem gestam exponere, & id quod in-  
teritum, confirmare, & quod contra dicitur, refellere, & ad  
extremum conquiri ac deprecari possimus; Eloquentiam tamen  
cum politiori stilo coniunctam, adeoque stili exercitationes cum  
laetare praclararum suppellectile comparatam habere, ma-  
ximam esse ad sapientiam assequendam momentum. Est enim, ut

DEDICATIO.

Cicero vult, Eloquentia copiose loquens sapientia. Estq; oratoris  
 graui nomine dignus, qui. Crasso si credimus, quacunque res in-  
 ciderit, quo dictione explicanda, non modo compositè, ornate,  
 memoriter, & cum quadam actionis dignitate, verum etiam  
 prudenter dicere potest. Eiusq; officium est, vt doceat, vt deleat,  
 vt moueat: quorum nihil præstabit, si aridam, ieiunam, steri-  
 lem, exuccam, exanguem; non eruditam ac sapientem, nõ verum  
 ac sententiarum floribus conuersam, non doctrine notis illumi-  
 natam orationem protulerit. Et damnarunt semper veteres locu-  
 tulos ac loquaces, multum eloquentia, parum sapientia haben-  
 tes; nihilq; tam furiosum esse statuerunt, quam verborum vel  
 optimorum atq; ornatissimorum sonitus magnos, nulla aut sen-  
 tentia aut scientia subiecta; inanem loquendi profuentiam, cir-  
 culatoriam ac ventosam lingue volubilitatem oderunt: in illam  
 quoq; sedulo curam incubuerunt vt omnium eorum, qua ad ho-  
 minum mores, ad virtutem, ad vitam, ad Rempub. at alia perti-  
 nerent, cognitionem cum dicendi ratione coniungerent. Testis rei  
 huius locupletissimus est Demosthenes, qui, vt ex Hermippe Plu-  
 tarchus refert, Platonis diligens auditor fuit: oculus descripsit  
 Thucydidem, indeq; plurimum adiuuenti ad eloquentiam accep-  
 pit. Testis Pericles ille, qui propter animorum motum fulminare  
 ac tonare est iudicatus: dicendo excelluit, quod Anaxagora Phi-  
 losopho Præceptore vteretur, non rhetoribus tantum aures prebe-  
 ret. Testis etiam est hic noster IACOBVS SYDOLETVS, qui non  
 nature duntaxat vnitatem fretus, vel verborum suffultus copia ac  
 ornatu, vel præceptorũ qua in arte traduntur, nuda nixus sen-  
 tia, sed præclararum quoq; rerum cognitione instructus, eloquen-  
 tia operam dedit, indeq; multum opis atque auxilij rebus huma-  
 nis attulit; Estq; stylus ipse ad illud absolutissimum Ciceronia-  
 ne eloquentia exemplar omni diligentia conformatus. Vt in-  
 terim nihil dicam, quanta sit in eo recondita sapientia, quam  
 variarum disciplinarum eruditio, quam graues sententia; ad ca-  
 pessendam virtutem & literarum studia amplectenda, mirabiles  
 in Iuuenum animis ignes elicientes, quibus artes, homine liberali  
 minus digna, omniaq; vitia tanquã fumi euanescere videantur.  
 M. quod attinet, pro meo bene de te merendi literaria voto ac  
 studio,

DEDICATIO.

*hinc, in eam, aliquot hinc ab annis curam incubui, ut Auctores, vilitate sese sua puritateque pre aliis commendantes vel ab interitu vindicarem prorsus, vel sumptibus meis recognitos, notis eorum castigacionibus, aut alia etiam aliqua accessione locupletatos attue & venusti perpolirem, typisq; imprimendos committerem. Fuit enim, hoc dum facerem, eorum subeunda mihi censura, necs audivenda parum aequa commodaq; essent, qui nihil nisi ipsi quod fecerint, fieri recte opinantur; plus tamen ponderis apud me momentiq; semper publica habuit, ut haberi merito debuit, vilitas: magni iudicia eorum facienda; locum precibus relinquendum esse duxi, qui grato labores hosce meos sumptusq; tam in rem factos agnouerunt animo; utque propositum hoc deinceps quoque vigerem, auctores mihi iuasoresq; extiterunt. Quo etiam nomine saluum est, facile ut eorum voluntati atque suffragio calculum meum adiuicerem, qui nec opera nec impense intendendis IACOBI SADOLETI operibus, que sparsim atque profusabant, parcendum esse existimauerunt. Neque verò ad famam per sudores aliena virtutis entor, nec inde lauream expectavi vnquam. Abunde mihi gloria est, abunde fructus, si & paupertati & paupertati, quæ tot, tantis tamque iustis voluminibus emendata non est, qualicunque labore optime prospiciam; qua in re si peccasse dicar, feram oportet id aequo animo, & potius sapienter cum sapientibus peccasse, quam cum stultis stultè ignorasse sensisse malim.*

*Ceterum, cum transmissu nuper ad me IACOBI SADOLETI operibus, de eorum & publicatione & dedicatione quamprimam cogitarem, amplexus eam sum rationem, quam cum a me ipse mihi se iecisset meus, amicorum etiam sententia videlicet comprobati. Est hæc illa, que solennis hodie plerisque omnibus in isto genere scriptionis in vulgus nouitia videtur, & hinc inuentum aut, apud doctos antiquam esse constat, & veteribus etiam frequentatam. Singulis libelli singuli inscribuntur, citum aliis alia, nec vna fortasse causa, mihi preter vnã hanc nulla, nisi vel amantibus mei vel bene iam meritum de me viris, auctoris in eos contra mei gratia, significationem aliquam ani-*

DEDICATIO.

mi, publico eiusmodi monumento referre. Atque in ista quidem cogitatione multi sane occurrebant, quibus officium hoc deberem. Obnoxium enim me quam multis fecit humanitas ac benevolentia in me insignis illa, quam vestrae, cum Moguntia nuper essem, cumulatam omni genere comitatus explicarunt, ut istam in hominem ignotum antea vobis, prolixissimum affectum, de immerente merendi benignissimam non voluntatem, sed cupiditatem & mirarer vehementer, & cum mirari non possem satis, etiam venerarer. Itaque difficultas orta mihi magna in electione, cui cum secernere arduum esset, quos non liceret, tam metuendum erat, ne offenderem, quos necesse esset praeferre. Et diu sane anxius hic haerebam, adeo ut fluctuare iam inciperem de toto consilio inscriptionis, nec aberam procul, ut damnarem, cum amici trepidantem confirmarunt vicissim & labentem erexerunt, ita mihi serio magnaque, assueveratione, multa etiam suadentia sua vi dicentes, nullam esse causam hanc, ut ab incepto desisterem, neque fore in prauiudicium aliis, si alios pretulisset, neque posse queri se neglectos, quos coactus essem posthabere. Tandem & ipse mecum cogitabam, si qui agruiscule laturi essent, posse me is deinceps ita satisfacere, ut solutionis huius moram vel in lucrum sibi sint deputaturi.

Te vero, Vir Venerande, praeter ceteris hoc ipso tempore nec volui nec debui praeferre, non quod opera hac SADOLETI nemini possint obtrudi, sed quia nemini magis volo, quem ut censerem inter primos mihi demerendum, plurima causa effecerunt, non omnes hoc loco exponenda: quia & ipsi tibi audire pro modestia tua molestum sit, & alij dari auribus tuis suscipiuntur. Ac sane fama credebam antea, cui fidem nunquam abrogo de viri ingenio: sed hanc superasti tu profecto apud me, qui praesens & agnoui quidam tenus qua pradicasset illa, & qua pradicari ego quidem nec audieram, cognoui. Sed in laudes & has & alias tuas nolo hic diffundi. Ut gratum aliquo pacto pro humanitate singulari, benevolentia mihi exhibitis, me videas, haec SADOLETI Opera impensiori quam hactenus studio impressa tibi offero. Sicque habeo: quo censura tua fuerit acrior, eo impensius tibi

DEDICATIO.

sibi placuisse. Vt autem placere illuc poterit, addictissimam  
sibi voluntatem placituram omnino confido, quam lubens am-  
plereis & valebis, meq; habebis de meliori nota commenda-  
tum. Francofurti, 30. Augusti Anno 1607.

T. Magnif.

offic. colens

IONAS RHODIVS, Cuius  
& Bibliopola Francofur-  
tensis.

IX 5 ILLV.